



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Cap. IV. De personis Parochorum quoad se.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

5 Statas horas, consuetas processiones, & omne exercitium, tam publicum, quam privatim, diligenter observent; uti & solitas cantiones Germanicas, antehac à Nobis approbatas, & in usum deductas, ante & post conciones, sub Sacris, Catechismo, & aliis temporibus, decantari faciant.

6 Ad festa Natalitia, quæ modo instant, rite celebranda, ad confessionem, & sacram communionem in iis recipiendam, subditos moneant & moveant.

C A P. IV. De personis Parochorum quoad se.

1 IN omnibus se præbeant exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum sanum, irreprensibile; ut is, qui ex adverso est, vereatur, nil habens malum dicere de ipsis.

2 Scandala & occasiones vitent. unde concubinatus, potationes, ebrietates, rixæ omnes, eliminantur.

3 Orationi instantes sint; continue occupentur studiis, præsertim controversiarum, casuum & concionum, vel etiam qualibuscunque honestis exercitiis, ne otio subjaceant.

4 Domestica curam non præponant curæ animarum.

5 Breviarium Romanum quotidie recitent.

6 Missas sæpius in septimana celebrent, juxta constitutiones Synodales; confiteantur, & testimonia exhibeant.

7 Præparent se ipsos jam ad festa, magno zelo & proposito.

8 Se mutuo solentur, ac consilio & auxilio juvent; consilia ab aliis peritis, in rebus gravioribus, petant; Decanis suis & Ceme- rariis obediant.

9 Si quid violentiæ vel oppositionis & difficultatis à sæcularibus sentiant, Officiatos Nostros implorent.

10 Quilibet faciat designationem & numerum suorum subditorum dextrè.

11 Omnes Nobis statum Parochiæ, singulis quindecim diebus, transmittant in scripto, vel viciniore oretenus referant.

C A P. V. De personis Parochorum quoad proximum.

1 IN concionibus servent Evangelium præscriptum.

2 In iis conentur etiam potius moralia, & quæ doctrinam spectant, proferre.

3 Allaborent, ut fundamenta fidei bene explicant.

4 Scholas bene disponant pro parvulis.

5 Catechismum habeant, etiam in concionibus adducant.

6 Conentur, omnes ad orthodoxam fidem reducere.

7 Sæpius etiam ipsorum domus visitent, ut conversatione eos acquirant.

8 Egrotorum curam diligentem habeant; præsertim ne sine Sacramentis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ unctionis, decedant.

9 Curam etiam habeant Catholicorum, in vicinis Parochiis, ubi Prædicantes Augustanæ Confessionis sunt; ipsos ad suam Ecclesiam & accipienda Sacramenta invitent, in fide confortent ac solentur, & foveant libere, prout pace publicâ Germaniæ continetur.

10 Inquilinos suos, qui sunt alienæ fidei, publice & privatim instruant, moneant, urgeant.

11 Bono exemplo, sanâ doctrinâ, & morum suavitate, conentur reducere eos, qui hoc belli & exilii tempore, non ex levitate vel fundamento aliquo, sed coacti, deseruere Catholicam religionem.

12 Non se familiares nimium Prædicantibus A catholicis faciant; non verbis scabiosis in ipsos invehantur, sed tantum ut docere videantur in mansuetudine; computationes cum ipsis, & alia, fugiant.

C A P. VI. De Pastoribus Orthodoxis, in quorum Parochiis exercitium Augustanæ Confessionis publicum, vî pacis publicæ in Germaniâ, tolerandum.

1 H Oras, pro Officio divino constitutas, observent.

2 Et, quo magis acatholicis Ministris cohabitant, eo magis supra dicta observent.

Lectis hisce Decretis, Illustrissimus modico spatio omnes sui officii & curæ Pastoralis communit; ac in Domino hortatus est, ut vocationi, qua in sortem Dei vocati sunt, satisfaciant; quod si quis tamen nonnulla adhuc proponenda habeat, ea ipsa, die sequenti, coram Illustrissima Sua Celsitudine exponeret, & ulteriora mandata expectaret. Sicque hæc Synodalis conventio finita, & per Illustrissimam Suam Celsitudinem solemnî benedictione omnibus gensuicentibus datâ, singuli dimissi ad propria redierunt.

Et quia Ego Ioannes Brogberen, I. V. L. Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ & Evangelistæ Ratisbonæ Canonicus, & Pastor in Rinslo, a supra memorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præside in Actuarius hujus sacræ Synodi deputatus fui, Decretorum Synodaliū promulgationi reliquisque in eâ pertractatis interfui; idcirco iisdem Decretis, in fidem eorundem, propriâ manu subscripsi. Acta sunt hæc anno, a partu Virginico, millesimo sexcentesimo quinquagesimo,